

π κ
1624







IUDICIUM PARIDIS,
Troiani De Tribus Deabus
VENERE IVNONE ET
PALLADE PER
Cantalyciū .

Hermannus Trebelius Notianus P .
Lau : ad pueros in Paridis Iudiciū .

Sperne puer Veneris laqueos contemne pharetram :
Quēq; capit Phrygium fœmina nuda Parim .
Parnasi venerare deas sophiæq; magistras :
Pallados & flauæ numina docta cole .
Sic reor expendes non falsa corpora lance :
Nam sapit is præfert Pallada qui Veneri' .

F. BAPTISTE MANTVANI
Elegia contra Amorem .

Hermānus Buschius Pasiphilus
in Amorem .

Quisquis in expertus Veneris mala gaudia nescis
Qui sentis nondum quod sit amare iugū .
Si sapis aligeri fugias fera iussa tyranni :
Felle madet si quod missile tinxit amor .





IVDICIVM PARIDIS BELLONA
AD DEAS.

discordia
q Væ fortis Bellona feror Mauortis in armis

Aduenio summi lapsa per alta poli
Non pacem sed bella gero discordia meum est
Dea Præcipua Martis
Armigeri & Martis dicor & vna soror

Cernite dona Deæ quæ sint mea cernite quæso
Esse minus possunt munera pulchra magis
Hæc pulchrâ sed pulchra decent : formosior illa
Quæ fuerit : merito munera pulchra ferat .

IVNO :

h Aec mea sunt vobis nã sum formosior : & qd̄
Et soror & cõiunx sum dea magna Iouis .

PALLAS .

h Aec mea sunt quoniã Pallas sum sola sophiæ
Mater : & armigeri sum dea Martis atrox :

VENVS .

h Aec mea sunt quoniã dulcis sũ mater amoris :
Et formæ & magni filia pulchra Iouis .

MERCVRIVS AD DEAS Altercantes :

p Arcite quæso deæ litesq; arcere nephandas
Vestraq; nunc dictis vertite corda meis.
Iusticia pollens Paris est vicinus : eamus
Quem certe in syluis non procul esse reor
Huius iudicio vestram cõmittite formam
Nil illo in terris iustius esse potest .

A ii

MERCVRIVS AD PARIDEM.

d Ic nobis Troianæ Paris iustissime iudex
 Ex illis placeat quæ tibi diua magis
Iuditio est permiffa tuo formosior & te
 Talia pro meritis iudice dona feret .

PARIS AD DEAS.

d E forma censere placet mihi quoq; dearū
 Sed fieri uobis discite quid fit opus .
Quamlibet ex uobis cupio discernere nudam
 Tum quæ sit iusto pulchrior ore canam ;

IVNO AD PARIDEM .

f Vm tibi nota Paris cæli regina superni
 Et nosti quantū dextera nostra potest .
Si tua quam debes pro me censura feretur
 Accumbes epulis tu : dapibusq; meis .
Accipies regnū : fortunā : quicquid & omne
 Tradere mortali regia nostra potest .

PALLAS AD PARIDEM .

i Psa ego sum Pallas de vertice nata tonantis
 Sum dea sed sophiæ : sum dea Martis atrox
Talia si nobis te iudice dona dabuntur :
 Accipies Pallas tu dea quicquid habet
Plus sapiens ; plus fortis eris quā cætera turba
 Eia age fac Pallas vincat vtramq; deam .

VENVS AD PARIDEM.

c Hare Paris qui iusta uides da munera nobis
Aeneæ mater sum Venus alma tui.

Vnica sum formæ mater speciosa nitentis :

Nil sine me quisquã dulce tulisse potest.

Si data palma mihi fuerit : formosior omni

Adueniet thalamo fœmina iuncta tuo.

PARIS AD VENEREM :

o Formosa Venus : tua sint hæc dona iubemus

Tu quoniã forma vincis vtramq; deam.

Victrix digna tua palma es : tu præmia quare

Accipe : sed Paridis sis memor oro tui.

IVNO IN PARIDEM.

p Erfide iudicii pœnas patieris iniqui!

Et disces quantũ tunc Cytherea potest.

Nanq; tuæ genti semper fera bella mouebo

Et mea troianas obruet vnda rates.

PALLAS IN PARIDEM.

f Preta tibi armisonæ sunt Palladis arma pudorq;

Nec tibi sunt sophiæ munera grata meæ

Non impune feres nostræ q; præmia laudis

Fert Venus : heu Troiæ funera quanta paras.

VENVS AD PARIDEM.

a T Venus alma tibi tali pro munere reddet

Præmia : iuditio præmia digna tuo.

Nam mihi quæ certat forma celebrata lacena

Intrabit thalamos me duce nymp̃ha tuos.

τελος.

A iii

*Carolis
Gyriacis.*
ALIA Descriptio Iudicii PARIDIS Carmine
Heroico . TRES deæ ad Paridem :

Tres sumus ecce Deæ : forma se quelibet offert :

Hoc in discidio volumus Paris arbiter esto :

Cui pomum dederis titulū simul ipse referto :

VENVS AD PARIDEM.

Plectra sonora : ioci : plausus : lasciuia voluptas :

Hæc mea : si reliquis me præfers : ipsa puellam

Pro mercede dabo qua non formosior vlla .

IVNO AD EVNDEM.

Sceptrorū sublimis honor : fascesq; tremendi :

Diuitiæq; mei iuris : te iudice palmam

Si tulerim : regno per me donabere summo .

PALLAS AD EVNDEM :

Quæ cælū : quæ terra tenet : quæ pontus : & orbis :

Legibus astringo certis : nil me nisi rectum :

Te si me sequeris non abstrahet inuius error :

IUDITIUM PARIDIS.

Grata mihi tua forma Venus : tua munera grata :

Plus aliis mihi mente sedes : certaminis ecce

Pignus habe victrix auri spectabile malum .

POETA .

Hac in lite triplex hominum mellita Poesis

Depinxit studium : quorū datur optio cunctis :

Falluntur tamen optando plariq; sequaces :

Luxus habet multos honor & sapiētia paucos . Telos

Distychon.

De forma certant Aphroditis : Iuno : Minerua :

Sed vicit Paphyæ blanda figura deæ .

F. BAPTISTE MANTVANI
Carmelitæ Theologi : ad Reuerēdissimū & Illu-
strissimū Sigismundū Gonzagam protonotariū
Elegia contra Amorem .

Confuluit pietas : vt te Sismunde monerem :
Cōmunem iuuenū ne sequerere viam .

Omnis em̄ tenera puer ut lanugine vernat

Perdere in insano tempus amore solet .

Quo caueas igitur scelus hoc : animiq; venenū :

Quid sit amor paucis institutare modis .

Mentis amor vitiū iuuenile : cupidine formæ

Visu animi robur debilitante satum .

Hoc ubi corda premens humana tenatius hæsit :

Obligat imposto colla subacta iugo :

Et trahit in facinus Veneri q̄cūq; videtur /

Nil veritum leges Imperiumq; dei .

Res horrenda / facit licitum scelus omne videri /

Sic iacet affectu mens hebetata malo .

Vt notus æstius obnubilat aera nimbis :

Ac tenet oppressum sole latente diem /

Sic amor ante oculos animi velamina tendit :

Et trahit in cæcum pectora nostra chaos :

Hinc securus amans per aperta pericula fertur

Quæ nisi mentis inops nullus audire velit .

Hic positus noctu scalis super alta domorum

Tecta salit / Cetero dum rigat aura gelu .

Hic iacet in latebris / loculoq; reconditus arcto
Spem titubans inter fluctuat atq; metum .
Pugnat in ambiguo sententia pectore duplex /
Vellet amore frui / vellet inire fugam .
Ille subit gladios / & pro muliere duellum :
Mox inir egestam sanguinolentus humū .
Fit pecus omnis amans dum pro ratione libido
Iudicium nutu temperat omne suo .
Quisquis em̄ vivit sine lumine mentis & vsu /
Fert hominis vultus / ingeniumq; feræ .
Est pecus / & fallax hominem mentitur imago /
Testis opus melior veridicumq; magis .
Anser aquis gaudet / sylvis aper / aere falco :
Legibus humanum consilioq; genus .
Sirenes / satyri / panes / nymphæq; marinæ /
Et Lamiaæ humani corporis ora ferunt .
Si videas vultus homines vidisse putabis /
Esse feras constat si intuearis opus .
Hinc igitur fati non sunt mendatia vates /
Quando homini vultus imposuere novos .
Qui partim sensu / partim ratione feruntur /
Nec vniunt totos cum pietate dies :
Hi sunt Centauri Minotauriq; biformes /
Monstra quibus duplex ambiguūq; genus .
Talia significant animos in amore iacentes
Continue in mutum degenerare pecus .

Hinc bouis effigiem subit Inachis / æquora subter
Latrat / & absorptas Scylla profundit aquas .
Nyctimenæ in noctis uolucrem conuersa : Medusæ
Tempora vipereæ complicuere comæ .
Utq; scias quantum ualeat subuertere mentes /
Inferior nullis cladibus iste furor .
Aspice Leandrum spatiosa per æquora nantem :
In se odium fati sollicitare sui .
Aspice pastorem Phrygium Spartana ferentem :
Furta domus lachrymas excidiumq; suæ .
Suasit amor Scyllæ regno spoliare parentem :
Et dare Gnosiaco se patriamq; duci
Tanta animo rabies / hostem preponere patri :
Consuluit sæuo sæuior angue puer .
Aspice Theseæ redeuntia vela carinæ /
Ferre Iouis neptes furta superba duas :
Crudeles casus tristemq; attende rapinam :
Nec seruasse datam fœdera vana fidem .
Quid referam Cinyræ coitū ? quid Biblidis ignem :
Et scelera admissis Pasiphaæa boue ?
Phasias hospitibus dedit aurea vellera Grais :
Et secuit dura pignora parua manu .
Heu facinus crudele parens in sanguine nati
Tingitur : & sobolem carnificata suam .
Ira malū minus est / breuibus quia præterit horis /
Longa venenosus tempora uiuit amor .

*Leandro
Aspice*

no vni no puer
Viuit / & assiduis hominem cruciatibus angit /

Et tenet ardenti corda sepulta foco .

Criminibus
Cætera quæ nostrum dicit mortalia vulgus

Crimina sunt longæ pernicioſa minus .

maximè
His et̄m satis est vni nocuisse . Cupido

Vult homines saltem præcipitare duos .

Semper et̄m tali febricit quicumq; cicuta

Vult alium vicio commaculari pari :

Aspice q̄ variis Erymanthida Iuppiter vrsam

Cœpit ut est virgo ludificata modis :

Quor̄ studuit verbis Daphnen facundus Apollo

Flectere / & ardori conciliare suo .

Te cui magnanimo grandes in pectore curas

Parturit antiquæ gloria longa domus :

Et cui maiorum laudes calcaria subdunt :

Vt studeas atavis non minor esse tuis /

Hanc decet ex animo penitus conuellere pestem /

Et sepire omnes / ne feriare vias .

Ac vitare locos / puer hic ubi retia tendit /

Atq; ubi in insidiis ipse latere solet .

Carliantia
Retia sunt iuuenū vultus / & amabilis ætas :

Quæ rapiunt sensus illaqueantq; novos .

Corda retondit amor / generosa negocia frangit :

Nec nisi fœmineum mente volutat opus .

Grandibus inceptis studiisq; virilibus obstat :

Nec probat Heroa fortiter acta manu .

Negligit insignes quæ sunt peritura triumphos :

Et decora & titulos extimat asse minus .

Delicias / vnguenta / iocos & inercia laudat

Ocia / & ad Phrygios fila reducta modos .

Inuidus Aenæam Libycis tentauit in oris

Sistere / ne in Latium prosequeretur iter :

Ne iacta imperii primordia poneret Alba :

Vnde fata est vrbis Roma futura caput :

Aestuat amissa Chryseide magnus Achilles :

Languet & Argolicis ferre recusat opem :

Sic amor elatam studuit subuertere mentem /

Vt Venerem Graios poneret ante duces

Vt iuuenis tantū decus obscuraret : & arma

Græca forent læso debiliora duce /

Et quia nudus amor / studet exhaurire sequaces /

Eximias luxu dilapidante domos .

Hinc vbi quis lautis minuit patrimonia mensis

Ambulat attrita tristis inopiq; toga /

Et quas cura patrū multis sudauerat annis

Fœmina longæuas vna triumphat opes :

Et quoniam puer est / leuium solatia rerum

Qualia blanditiæ / basia / carmen amat .

Et quia pennatus / cito mobilis / & quia cæcus

Præcipiti fertur per scelus omne gradu :

Et quia fert arcus / mucronigeramq; pharetram

Atq; faciem / mala gens ingeniumq; ferox .

AK

Tc

1624

Incipit a risu / curis coalescit amaris

Definit in lachrymas improbus iste furor .

Quisquis amas igitur quæ fortuna secundet /

Et facilem puppi det leuis aura viam :

Sis memor euentus / versaq; relabere cymba /

Peruia tranquillo dum sinit vnda freto /

Et caue ne subita maris inuoluare procella /

Dum tonat ardenti fulminis ira polo .

Hæc habui ad præsens tibi quæ memoranda putauit :

Dum cupio ad summum promoueare decus .

τελος :

Impressum wittenbergæ per
Ioannem Gronenberg .

Anno a Recõciliata diuinitate

M. D.

XII.

MEN: IANVARIO.

mi



Pow Tte 1624, 1211


ULB Halle

3

004 984 137







B.I.G.

Farbkarte #13

N. 534, 48.

B.



IUDICIUM PARIDIS,
Troiani De Tribus Deabus
VENERE IVNONE ET
PALLADE PER
Cantalyciū .

Hermannus Trebelius Notianus P :
Lau : ad pueros in Paridis Iudiciū .

Sperne puer Veneris laqueos contemne pharetram :
Quēq; capit Phrygium fœmina nuda Parim .
Parnasi venerare deas sophiæq; magistras :
Pallados & flauæ numina docta cole .
Sic reor expendes non falsa corpora lance :
Nam sapit is præfert Pallada qui Veneri'.

F. BAPTISTE MANTVANI
Elegia contra Amorem .

Hermānus Buschius Pasiphilus
in Amorem .

Quisquis in expertus Veneris mala gaudia nescis
Qui sentis nondum quod sit amare iugū .
Si sapis aligeri fugias fera iussa tyranni :
Felle mader si quod missile tinxit amor .

